

hac perpetuo valitura constitutione presentia fieri prohibemus: prædecessorum nostrorum constitutionibus, prohibitionibus, et decretis aliis super hoc editis, quæ tenore presentium innovamus, in suo nihilominus robore permansuris. Si quis autem contra hujus nostre prohibitionis seriem de bonis, et rebus eisdem quidquam alienare præsumperit, alienatio, hypotheca, concessio, locatio, conductio, et infendatio hujusmodi, nullius omnino sint roboris, vel momenti. Et tam, qui alienat, quam is, qui alienatas res, et bona prædicta receperit, sententiam excommunicationis incurrat. Alienanti vero bona ecclesiarum, monasteriorum, locorumque piorum quorumlibet inconsulto Romano Pontifice, aut contra presentis constitutionis tenorem, si pontificali, vel abbatiali præfulgeat dignitate, ingressus ecclesie sit penitus interdictus, » etc. Hæc Papa in cit. Extravag. *Ambrosiæ*, pro cæteris inferioribus prælatis alias pœnas, inferius n. 65. et 68. referendas, subiungens; atque statuens, quod « nihilominus alienata res, et bona hujusmodi ad ecclesias, monasteria, et loca pia, ad quæ ante alienationem hujusmodi pertinebant, libere revertantur. Nulli ergo, » etc. Concordat concilium Tridentinum, sess. 25. cap. II. *de Reform.* Sed occasione prædictorum

7. *Mobilia, et immobilia, quæ?* — Quæritur III. Quænam censeantur res immobiles, ita ut alienari prohibeantur? Resp. I. Mobilia dicuntur, quæ loco moveri possunt: ut pecunia, vestis, navis, animalia, etc. Nam, quod mobilia, et moventia (puta, animalia) idem sint, nisi aliud appareat ex mente loquentis; textus est in I. *Moventium*. ff. *de Verb. signif.* Et contra vera immobilia censeantur, quæ loco moveri non possunt: prædia, domus, agri, et hujusmodi.

8. *Jura et actiones, seu nomina debitorum, vi nominis, nec sunt mobilia, nec immobilia; sed constituunt tertiam speciem.* — Resp. II. Etsi vi nominis, ac secundum primævum significatum vocabulorum, jura, et actiones, seu nomina debitorum, nec sint mobilia, nec immobilia, sed constituunt tertiam speciem: nihilominus in proposito nomine *Immobiliæ* etiam comprehenduntur jura, et actiones ad immobilia. Ita Abbas, c. *Nulli*. n. 9, h. t. Azorius, part. II. cap. I. quæst. 6; Pirhing, h. t. n. 13, et alii. Ratio prioris partis est, quia actiones, et jura, cum sint quid incorporale, non concluduntur certo lo-

co; et sic non possunt dici mobilia, videlicet ab uno loco in alium, nec immobilia. Unde in I. *Ab divo Pio*. § *In venditione*. ff. *de Re judicat.* jura, et actiones, seu nomina debitorum, pro tertia quadam specie ponuntur: statuendo, ut in venditione pignorum primo « Res mobiles, et animalia; et, si hæc non sufficerint, deinde pignora soli, seu immobilia distrahantur; et, si nec ista sufficiant, tunc perveniatur etiam ad jura.

9. *In proposito tamen nomine Immobiliæ comprehenduntur jura, et actiones ad immobilia: secus, ad mobilia.* — Altera pars desumitur, ex cap. II. h. t. in 6, ubi jura, seu actiones ad immobilia, æquiparantur immobilibus, ibi: « Bona immobilia, aut jura ecclesiarum: » juncta I. *Qui actionem*. ff. *de Reg. jur.* ibi: « Qui actionem habet ad rem recuperandam, ipsam rem habere videtur, » cum similibus. Atque hoc procedit de juribus, seu actionibus ad immobilia: nam actiones ad mobilia, v. g. actio ad debitum certæ pecuniæ, dicitur res mobilis, sicut ipsa pecunia. Abbas, et Azorius, ubi supra; Lugo, disp. 6. *de Just. et jure*. n. 66 et alii.

10. *Nomine immobilium veniunt etiam servitutes prædiorum, jura piscandi, venandi, etc.* — Insuper nomine immobilium in proposito veniunt servitutes prædiorum, jura piscandi, venandi, et hujusmodi: ut I. ult. § *fin.* C. *de Præscription. longi tempor.* ibi: « Eadem observando, etsi res non soli sint, sed incorporales, quæ in jure consistunt; veluti usus fructus et cæteræ servitutes. » Et concordat Clem. 1. h. t. illis verbis: « Jura, redditus, aut possessiones ejusdem monasterii. » Si quidem hæc omnia fixa manent, et instar immobilium afferunt fructum suum.

11. *Ac census, seu annui redditus.* — His adde census, seu annuos redditus; uti habetur in Clem. *Exivi*. § *Cumque annui*. *de Verb. signif.* ibi: « Cumque annui redditus inter immobilia censeantur a jure. » Concordat textus notabilis in Authent. *De non alienandis*, etc. § *Vult enim illa*, collat. 2. ubi inter alia civiles annonæ (scilicet, redditus a fisco percipiendi singulis annis, ut explicat Glossa ibidem) inter immobilia dicuntur esse numerandæ.

12. *Mobilia pretiosa, quæ?* — Quæritur IV. Quænam dicantur mobilia pretiosa, ita ut alienari nequeant? Resp. I. Illa dicuntur *mobilia pretiosa*, quæ sunt de thesauro Ecclesie; vel quæ propter pretium, artem, seu antiquitatem, conferunt Ecclesie singularem

splendorem; uti sunt aurum, argentum, gemmæ, ornamenta, et vasa ecclesiastica pretiosa, et hujusmodi. Azorius, cit. part. II, lib. IX, cap. I. q. 7; Engel, h. t., n. 5; Pirhing, eod. n. 12.

13. *Reliquiæ sanctorum numerantur inter mobilia pretiosa.* — Reliquiæ etiam sanctorum, maxime ubi perpetuæ sepulturæ sunt traditæ, aut in muro clausæ, rectissime inter mobilia pretiosa numerantur. Aloys. Riccius, in *Praxi*, part. I, resolut. 60, n. 3, et seqq.; Engel, ubi supra, et alii.

14. *Quid dicendum de poculis argenteis, calicibus, etc., minus utilibus?* — Non tamen ex hoc titulo videtur prohibitum, quin prælatus possit aliqua pocula argentea minus utilia absque aliis solemnitatibus juris alienare; seu veteres calices, aut ornamenta pro novis commutare: prout consuetudo, optima legum interpres, passim declarat. Engel, cit. n. 5.

15. *Pecunia regulariter potest absque solemnitate alienari: nisi sit deputata pro emendis immobilibus, etc. Et quando sic censeatur esse deputata?* — Pecuniam etiam regulariter potest prælatus sine solemnitate expendere: quia est res mobilis; atque reposta in cista, nullum fructum affert, can. *Ejiciens*. dist. 88; Abbas, d. c. *Nulli*, n. 11, h. t. Dummodo hinc excipiatur casus, quo certa summa pecuniæ specialiter deputata est ad emenda bona immobilia, vel Ecclesiam ædificandam, aut pro gravissimis futuris necessitatibus reservata, arg. I. 3. § *Quid ergo*. ff. *de Contraria et utili action. tutel.* ubi pecuniam ad prædiorum comparisonem depositam tutor alienare non potest, nec ex ea sibi solvere. Azorius, part. II, lib. IX, cap. I, n. 5, subiungens, tunc pecuniam Ecclesie censi deputatam ad rem immobilem emendam, quando cum superioris auctoritate, et clericorum consensu, ad id retinetur. Quaranta, § *Alienatio rer. Eccles.*, n. 25; Engel, h. t. n. 7.

16. *Nomine mobilium pretiosorum etiam comprehenditur grex ovium, caprarum, etc.* — Resp. II. Insuper nomine mobilium pretiosorum comprehenduntur illa mobilia, ex quorum fructibus diuturnum emolumentum, annuosque redditus percipere consuevit Ecclesia, sive monasterium. Ita Molina, tom. II. *de Just. et jur.*, disp. 465, n. 4, istud intelligens de grege ovium, vel caprarum. Licet enim fas sit alienare, seu vendere arietes, hircos, hædos, et hujusmodi: non tamen

fas est alienare totum gregem, nisi concurrentibus causis, et servata debita forma, quæ in alienatione rerum pretiosarum, quæ servando servari possunt, necesse est concurrant. Ita Molina, loc. cit. et sequitur Pirhing, h. t. n. 12. et Sannig, eod. tit. cap. I. n. 8.

§ II.

DE CAUSIS, ET SOLEMNITATIBUS JURIS AD ALIENATIONEM RERUM ECCLESIASTICARUM REQUISITIS.

17. *Generatim ad legitimam rerum ecclesiasticarum immobilium, vel mobilium pretiosarum, requiritur justa causa, et debita solemnitas.* — Quæritur I. Quæ generatim requirantur ad legitimam alienationem rei immobilis, vel mobilis pretiosæ ecclesiarum? Resp. Ad hujusmodi alienationem duo copulative requiruntur, videlicet justa causa, et debita solemnitas. Ita communis; atque patet ex can. *Sine exceptione*, 12. q. 2. ubi dicitur: « Sine exceptione decernimus, ne quis episcopus de rebus Ecclesie suæ quidquam donare, vel commutare, vel vendere audeat: nisi forte aliquid horum faciat, ut meliora prospiciat; et cum totius cleri tractatu, atque consensu id eligat, quod non sit dubium profuturum Ecclesie. » Idipsum habetur cap. I, h. t., in 6. ubi proinde Joan. Andreas, in *Summario* breviter inquit: « Perpetua alienatio facta de rebus Ecclesie vacantis non præcedente tractatu, et sine justa causa, non valet: » cum concordantiis.

18. *Hujusmodi justa causa alienandi est triplex: videlicet necessitas Ecclesie.* — Quæritur II. Quotuplex sit justa causa alienandi res ecclesiasticas? Resp. I. Justa causa alienandi res ecclesiasticas est triplex; videlicet, necessitas Ecclesie, utilitas Ecclesie, et pietas. Ita in re communis; quamvis nonnulli addant quartam causam, nempe incommoditatis. Et quidem prima causa rite alienandi res ecclesiasticas, cæteroquin alienari prohibitas, est necessitas Ecclesie, cui aliter subveniri non potest. Textus est in Clem. 1. h. t. ubi sub nullitate actus prohibendo alienationem jurium, reddituum, aut possessionum cujuslibet monasterii, expresse excipitur casus necessitatis; illis verbis: « Nisi necessitas, aut utilitas monasterii — hoc exposcat. » Concordat cap. I. *de Pignorib.*, ibi;

« Nisi justissima necessitate urgente. » Uti fieret, si Ecclesia aere alieno sit gravata, nec habeat res mobiles, unde solvat: aut quando alia similis causa necessitatis extremae id deposcit. Barbosa, lib. III. *Jur. Eccles. univ.* cap. xxx. n. 12. et alii.

19. *Utilitas Ecclesiae.* — Secunda est utilitas Ecclesiae manifesta: ut si res aliqua Ecclesiae alienatur ad aliam meliorem emendam, juxta cit. can. *Sine exceptione.* 12. q. 2. ibi: « Nisi forte aliquid horum facit, ut meliora prospiciat: et cum totius cleri tractatu, atque consensu id eligat, quod non sit dubium profuturum Ecclesiae. » Id ipsum clarissime habetur in c. *Ut super.* 8. § fin. h. t. ubi Pontifex sic loquitur: « Possessiones vero, quae Ecclesiae tuae minus sunt utiles, pro aliis utilioribus de fratrum tuorum, et sanioris partis consilio, et assensu, alienandi, seu commutandi liberam concedimus facultatem. »

20. *Quae debet esse manifesta.* — Debet autem hujusmodi utilitas esse manifesta: adeo, ut conditio Ecclesiae patenter melior fiat, et locupletior. Barbosa, de cap. xxx. n. 15, post Rotam, decis. 65, n. 48. et decis. 367, n. 5 et 7. part. V. *Divers.* et alios. Unde non sufficit, quod Ecclesia non damnificetur; sed requiritur lucrum de tempore alienationis, cit. can. *Sine exceptione.* 12. q. 2; Barbosa, eod. cap. 30. n. 17, citans Rotam, in Bonon. devolutionis. 16 novemb. 1621, coram Rev. D. Coccino decano, et plures auctores.

21. *Et pietas; quae exemplificatur.* — Tertia, est pietas: veluti, si bona Ecclesiae sint alienanda ad redimendos captivos, pauperes tempore famis alendos, seu ad aedificationem templi, vel augmentationem caemeterii pro fidelium sepultura. De his ex s. Ambrosio, lib. II. *de Officiis*, cap. xxviii, habetur textus pulcherrimus in can. *Aurum.* 12. q. 2. illis verbis: « Aurum Ecclesia habet, non ut servet, sed ut erogat. » Et infra: « Nemo enim potest dicere, cur pauper vivit? Nemo potest queri, quia captivi redempti sunt. Nemo potest accusare; quia templum Dei aedificatum est. Nemo potest indignari, quia humanis fidelium reliquiis spatia laxata sunt. Nemo potest dolere, quia in sepulturis christianorum requies defunctorum est. In his tribus generibus vasa Ecclesiae etiam iniuncta confringere conflare, vendere licet. » Haec ibi.

22. *Nonnulli addunt quartam causam, nempe incommoditatis: sed haec reducitur ad secundam.* — Glossa in *Summa.* caus. 12.

quaest. 2. §. *Nunc quaeritur.* et Abbas, c. *Novit.* n. 5, h. t. et Barbosa, lib. III. *Jur. Eccles. univ.*, cap. xxx, n. 11, et Fagnanus, c. *Nulli.* n. 7, h. t., quartam addunt causam ob quam licitum est alienare bona Ecclesiae; nempe causam incommoditatis, vel minoris utilitatis, arg. can. *Terrulas.* 12. q. 2. Ubi episcopo conceditur, ut terrulas, et vineolas, possit alienare sine consilio fratrum, sive capituli sui, concurrentibus tamen copulative his tribus; nempe, «t sint exigui valoris, et Ecclesiae minus utiles; simulque subsit necessitas, seu utilitas quaedam eas alienandi, uti ex contextu patet. Verumtamen haec causa incommoditatis apte reducitur ad secundam ex tribus enumeratis in conclusione videlicet ad utilitatem Ecclesiae: nam huic utile est, carere incommoditatibus. (ADNOTATIO XVIII.)

23. *Qualis solemnitas requiritur ad alienationem rerum ecclesiasticarum? Hanc debet praecedere tractatus capitularis: et qualis?* — Quaeritur III. Qualis solemnitas requiritur ad alienationem rerum ecclesiasticarum? Resp. cum communi solemnitas, seu forma observanda in alienatione rerum ecclesiasticarum immobilium, aut mobilium pretiosarum, consistit in sequentibus. Primo, ut praecedat tractatus capitularis: id est, ut praelatus cum capitulo, seu conventu capitulariter congregato, ac unoquoque dicente, quod sibi videtur, deliberet, an subsit justa causa; simulque, an expediat rem illam alienari. Idque patet tum ex cit. can. *Sine exceptione.* 12. q. 2. cujus verba superius n. 17. *Referuntur*; tum ex c. *Tua nuper.* 8. juncta Glossa, §. *Tractatu.* *De his quae fiunt a praelatis.* etc. ac praesertim ex cap. i. h. t. in 6. ubi, « qui tractatus solemniter et diligens, qui in talibus concessionibus perpetuis, et alienationibus rerum ecclesiasticarum exigitur, non fuit habitus, » cassatam judicialiter fuisse alienationem legitur.

24. *Ad eandem requiritur consensus capituli.* — Secundo, ad alienationem dictarum rerum ecclesiasticarum requiritur consensus totius capituli, seu majoris et sanioris partis ipsius. Et hoc patet ex c. *Ut super.* 8. § fin. h. t. ibi: « De fratrum tuorum, et sanioris partis consilio, et assensu. » juncto cit. can. *Sine exceptione.* 12. q. 2. cum similibus. Nam propter plurima damna, ex indiscretis alienationibus per nonnullos praelatos Ecclesiis illata, merito horum potestas restricta fuit, ut in posterum non valeat alienatio bonorum

ecclesiasticorum immobilium, aut mobilium pretiosorum, absque consensu capituli.

25. *Et cujus capituli?* — Et si petas, cujus capituli consensus requiratur? Resp. breviter cum Abbate, in cap. i. n. 5. *De his, quae fiunt a praelatis.* etc. Pirhing, h. t. n. 29. et 45. quod, si episcopus est auctor in alienatione rei Ecclesiae cathedralis, vel alterius inferioris; tunc requiratur consensus capituli cathedralis arg. cap. i. juncta Glossa, §. *Tenuis.* h. t. in 6. cum similibus. Quando autem episcopus non est auctor dictae alienationis, sed rector inferioris Ecclesiae; tunc si ista habeat collegium, requiritur, atque sufficit consensus collegii, hujusque subscriptio una cum auctoritate episcopi, arg. can. *Abbatibus.* 12. q. 2. et Clem. 1. juncta Glossa, §. *Proprii.* h. t. Quod si vero Ecclesia inferior non habeat collegium, sufficit, quod rector ipsius alienet rem ecclesiasticam cum consensu episcopi, arg. can. *Placuit ut presbyteri.* 12. q. 2. Accedit ratio disparitatis: quia, ubi episcopus est auctor alienationis, ipse foret solus, atque subintraret periculum, ne per eum dissiparentur bona ecclesiarum; sicque merito requiritur consensus capituli sui, haec autem ratio cessat, ubi episcopus non est auctor alienationis, sed rector inferioris Ecclesiae; quare sufficit auctoritas episcopi, simpliciter. Concordant in simili dicta superius tit. praeced. § 2. n. 29.

26. *Consensus iste capituli debet esse expressus, nec sufficit tacitus.* — Caeterum in alienatione perpetua rerum ecclesiasticarum immobilium, seu mobilium pretiosarum, requiritur consensus capituli expressus; nec sufficit tacitus. Glossa, in c. *Continebatur.* §. *Contradicente.* *De his quae fiunt a praelatis.* etc. et alia Glossa, cap. i. *Perpetuis.* h. t. in 6. Abbas, cap. i. n. 3. *De his quae fiunt a Praelatis.* etc. Pirhing, eod. tit. n. 2. Accedit ratio: quia ad alienationem perpetuam rerum ecclesiasticarum requiritur diligens tractatus praevius, cap. i. h. t. in 6. simulque collaudatio, atque subscriptio capituli, cap. i. *De his quae fiunt a praelatis.* etc. Atqui ista important consensum expressum; ergo.

27. *Solvitur notabilis instantia.* — Nec obstat cap. ii et iii. *De his quae fiunt a praelatis* etc. ubi ad alienationem rerum ecclesiasticarum per praelatum factam, sufficit consensus tacitus ipsius conventus, ut puta, scientis, et non contradicentis: imo et subsequens ratificatio. Resp. enim, istud proce-

dere in alienationibus temporalibus, de quibus loquuntur jura proxime citata: secus vero esse in alienationibus perpetuis, utpote quae majus praedictum Ecclesiis inferre possunt, et de quibus procedunt jura nunc praeced. allegata Glossa, cit. cap. ii §. *Contradicente.* quam approbat Abbas, ibid. num. 6. *De his quae fiunt a praelatis.* etc. Nam, quod jura jura juribus, si fieri potest, sint concordanda, patet ex c. *Cum expediat.* 29. *de Election.*, in 6. Nisi dicere velis cum Federico de Senis, Consil. 51. et Joan. Andrea in *Addit. Ad speculat.* tit. *de Rebus Eccles. non alienand.* super rubric. in fin. atque Abbate, loc. cit. n. 3. haec posteriora jura procedere in alienatione rei Ecclesiasticae modicae; ut can. *Terrulas.* 12. q. 2. Secus vero esse dicendum, si res sit magna: nam tunc requiruntur omnes solemnitates, fitque etiam consensus expressus capituli, licet alienatio non sit perpetua, sed duntaxat temporalis.

28. Tertio, ad alienationem rerum ecclesiasticarum immobilium, seu mobilium pretiosarum requiritur, ut capitulum se subscribat. Textus est in cit. can. *Sine exceptione.* 12. q. 2, et cap. i. *De his quae fiunt a praelatis.* ubi dicitur « Irrita erit episcoporum donatio, vel venditio, vel commutatio rei Ecclesiasticae, absque collaudatione, et subscriptione clericorum. »

29. *Ad ejusmodi alienationem etiam requiritur, ut capitulum se subscribat.* — Verum circa hanc subscriptionem clericorum, sive capituli, in praxi observetur laudabilis consuetudo locorum: juxta quam receptum videtur, ut si instrumentum alienationis manu publici notarii conficiatur, necesse non sit, quod in ipso exprimentur nomina singulorum capitularium; sed sufficiat, quod in ipso testetur notarius de praestito unanimi, vel saltem majoris partis capituli consensu. Quod si vero notarius non fuerit adhibitus, solet instrumento factae alienationis apponi sigillum capituli, una cum subscriptione praesidis (puta, decani) senioris, et aliorum, saltem nomine colectivo designatorum; Abbas, c. *Quanto.* n. 7. *De his quae fiunt a praelatis.* etc. Aut si alicubi adhuc consuetudo vigeat, ut omnes capitulares sese subscribere debeant, id intelligendum est de solis praesentibus: adeo, ut absentium nomina nequitiam inscribantur, c. *Quanto.* et Abbas, ibid. n. 7. *De his quae fiunt a praelatis.* etc. junctis dictis supra tit. II. *De his quae fiunt a majori.* etc. n. 17, 18 et 19.